



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

8. Cœlestis Altitudo, &c. Bulla Monitorii Apostolici contra tres
Reverendissimos Cardinales, ut redeant ad obedientiam S.D.N. Papæ, ne
schisma in Ecclesia Sancta Dei oriatur: anno 1511.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

dictus Carolus pro Capitaneis & Ducibus gentium armorum dicti Regis, ac militibus, seu stipendiariis D. Alphonso se gerunt, post afflictionem, & publicationem priorum Litterarum Nostrarum predictarum, post quod lapsum singulorum terminorum in eisdem litteris per Nos praefixorum, ipsarum Litterarum ac Mandatorum Nostrorum praedictorum notitiam habentes, suae propriae salutis immemores, Nobis ad partes Romandiolae pro recuperatione Vicariatus, Ducatus & Feudorum, nec non Civitatum, Terrarum, Locorumque praedictorum personaliter venientibus, & in Bononiensi Nostra Civitate cum Curia, ac Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus moram trahentibus, recuperationi huiusmodi temere renitentes, dicto Alphonso nedum praestita alias per eos subsidia subtrahere, ut debuerant & tenebantur; verum arma & gentes armorum, ac nova auxilia, & suffragia praestare, & magnas copias, tanquam Nostris, & dictae Sedis publicae & manifestae hostes, ad servitium, beneficium, & succursum publice & notorie dicti Alphonso contra Nos & Sedem praedictam, palam & publice subministrare, ipsumque Alphonsum in suis inobedientia, contumacia, & rebellionem, ac Vicariatus, Ducatus, & Feudorum praedictorum occupatione & detentione confovere, non verentur, Sanctae Romanae Ecclesiae exercitui, & gentibus Nostris pro expulsionem dicti Alphonso existentibus, tanquam Nostris & Sanctae Romanae Ecclesiae hostes se manifeste opposcentes, & quod deterius est, velut hostes Territorium Bononiense hostiliter invadere & depredare, & homines occidere, & captivos quamplures ex subditis Ecclesiae abducere, Arces & Fortalitia, seu Castra Ecclesiae Romanae huiusmodi comburere cum hominibus in eis existentibus, & aliqua invadere, ac capta custodire palam & publice non sunt veriti, poenas contra talia perpetrantes temere incurrendo excommunicationis & maledictionis, ac anathematis, aliasque in prioribus Nostris Litteris praedictis contentas sententias, censuras & poenas damnabiliter incurrendo: Ut igitur cum Alphonso, & aliis praefatis, & anathematizatis, ac maledictis merito computentur, & sicut in delinquendo dicti Alphonso pertinaciam sequuntur, ita poenarum etiam participes, ac secum portent poenas, cum praemissa adeo manifesta & notoria sint, & facti etiam permanentis, ita ut nulla probatione, vel monitione aut citatione indigeant, prout sic fore decernimus, & declaramus Carolum & Galeatum, & Marcum Anthonium, Theodorum, Georgium, & Alexandrum, ac Dominum de Montison, Dominum della Pelliza, Bajardum Dominum Dembrecoret, ac Dominos de Conti, de Bernia, & de Satigliano, de Fontraglia & Defoys, ac Johannem Aloysium, & alios praedictos, ac omnes & singulos alios Capitaneos gentium, Armorum Ducatores, Conestabiles, ac milites quoscunque, tam equestres, quam pedestres, qui contra Nos & Sedem praedictam, ac pro dicto Alphonso, tam illius, quam quorumcunque & Regum, seu aliorum Principum, aut eorum propriis stipendiis militarunt & militant, seu arma quomodolibet sumpserunt & sumunt, aut auxilium, consilium, vel favorem quovis modo praestare, & subministrare praesumpserunt & praesumpunt, quorum omnium nomina & cognomina, ac qualitates, etiam si quavis celsa, & grandi praefulgeant dignitate, praesentibus haberi volumus pro expressis, ac si nominatim exprimerentur, ac in illorum publicatione vigore praesentium facienda nominatim exprimi posse decernimus, majoris Excommunicationis, & divini anathematis, nec non maledictionis aeternae, & interdicti, ac in eos, & eorum descendentes dignitatum, honorum & bonorum privationis, & inhabilitatis ad illa, necnon bonorum confiscationis, & alias sententias, censuras & poenas praedictas damnabiliter incidisse, civitates quoque, terras, castra, oppida & loca, in quibus tunc, & pro tempore fuerint, & ad quae

eos declinare contigerit: ac quae in illis sunt Ecclesias, etiam Cathedralis & Metropolitanas, Monasteria, & alia Religiosa, & Pia Loca etiam exempta quaecunque Ecclesiastico Interdicto supposita esse, ita ut illo durante in illis etiam praetextu cuiusvis Indulti Apostolici, praeterquam in casibus a iure permissis, & in illis non alias quam januis clausis, ac excommunicatis & interdictis exclusis, nequeant Missae, & alia Divina Officia celebrari, dicta Apostolica Auctoritate tenore praesentium declaramus, illosque pro excommunicatis, anathematizatis, maledictis, interdictis, privatis & inhabilibus, ubicunque locorum denunciari & publicari, ac ab omnibus Christi fidelibus arctius evitari praecipimus & mandamus. Et ut omnibus praemissa innotescant, universis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium & Collegiarum Ecclesiarum Praelatis, Capitulis & Personis Ecclesiasticis, etiam quorumvis Ordinum, etiam mendicantium Religiosis, exemptis & non exemptis, ubilibet constitutis, in virtute Sanctae Obedientiae, & sub dicta Excommunicationis latae sententiae poenis mandavimus, quatenus ipsi, & quilibet eorum, si & postquam vigore praesentium requisiti fuerint infra tres dies, quorum pro primo, & alium pro secundo, ac reliquum pro tertio & peremptorio termino, ac Canonica monitione praemissa assignamus, eosdem excommunicatos, anathematizatos, maledictos declaratos, aggravatos, interdictos, privatos & inhabilitatos, si non paruerint, in eorum Ecclesiis Dominicis & aliis Festivis Diebus, dum major inibi populi multitudo convenerit ad Divina, cum Crucis Vexillo pulsatis Campanis, & accensis candelis, ac demum extinctis, & in terram projectis & conculcatis, cum trina lapidum projectione, aliisque Ceremoniis in similibus observari solitis, publice nuntient, ac faciant & mandent ab aliis nunciari, ac ab omnibus Christi fidelibus arctius evitari. Verum quia impossibile foret praesentes nostras declarationis, & publicationis litteras, ad praesentiam & personam propriam dictorum excommunicatorum personaliter deducere, propter eorum potentiam, volumus, ut affixio & publicatio praesentium litterarum in Valvis Cathedralium Ecclesiarum Mutinensis & Bononiensis. Civitatum facta, ita eos liget, & arctet, & declaratos, & damnatos demonstret in omnibus & per omnia, ac si eis, & eorum cuilibet personaliter intimatae & praesentatae fuissent. Postremo quia difficile foret, praesentes declarationis litteras ad singula quaeque loca deferre, in quibus earum publicatio necessaria foret, volumus, & praefata Auctoritate Apostolica decernimus, quod earum transumptis manu Notarii Publici subscriptis, & Sigillis alicujus Praelati Ecclesiastici munitis, ubique steter, ut pro originalibus litteris staretur, si essent exhibitae, vel ostensa. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quae in prioribus Litteris Nostris praedictis volumus non obtinere, caeterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostrae Constitutionis, Declarationis, Praecepti, Assignationis, Mandati, Voluntatis & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Bononiae, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo decimo, pridie Idus Octobris, Pontificatus Nostris anno septimo.

Sigismundus.

Bulla Monitorii Apostolici contra tres Reverendissimos Cardinales, ut redeant ad obedientiam S. D. N. Papae, ne schisma in Ecclesia Sancta Dei oriatur, anno 1511.

VIII.
Ex Misc.
Biblioth.
Casanat.
Tom. 141.
in 4.

In Nomine Domini, Amen. Noverint universi & singuli hoc presens publicum transumptum insperari, quod Nos Hieronymus de Shinuocis, Canonicus Senensis, U. Jur. Doct. Curie Caesarum Camera Apostolica Generalis Auditor, habuimus, vidimus, & diligenter inspeximus Litteras Apostolicas monitoriales Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini JULII, Divina Providentiâ Papa Secundi, infrascripti tenoris: Ejus verò Bulla plumbea, cum cordulis sericeis rubei croceique coloris, more Rom. Curie pendentibus bullatas, & omnimoda suspitione carentes, una cum eandem Litterarum Apostolicarum publicatione & affixione à tergo per tres presati Sanctissimi Domini nostri Papa cursores in locis in dictis Litteris Apostolicis designatis, debita executioni demandatas, quarum quidem tenor sequitur, & est talis:

JULIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Cœlestis Altitudo Potentiæ, Divinâ Providentiâ cuncta disponens, ut Ecclesiæ triumphanti militantem Ecclesiam similem faceret, voluit Summo Pontifici, Christi Vicario, Domini gregis Pastori adesse in regenda & gubernanda Universalis Ecclesiæ Monarchia Consiliarios, & Ministros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ut ipsi tanquam ejusdem Pontificis, & Ecclesiæ Membra suo Capiti defervirent, & submissis humeris ad regendum Universalis Ecclesiæ firmamentum operosa sedulitate cum ipso Pontifice laborarent, & tam ipsius Ecclesiæ, quam totius Ordinis incumbencia onera indefessis cum eo sollicitudinibus partirentur, ac cum eo Universalis Ecclesiam representarent. Hi sunt, quos dilexit Dominus, & velut præcipuos, ac sublimes ejusdem Ecclesiæ Cardines prærogativâ sublimavit honoris. Horum cœtus in orbe magnificus omnes & singulos, quibuscunque titulis decoratos excelsit, descriptique dicuntur in diademate Principis. Horum Altitudo Consilii, & expertæ circumspersionis industria circa dirigenda quælibet, & agenda Sanctæ Romanæ, atque Universalis Ecclesiæ majora commoda salubriter asserere dignoscitur; ideoque à Nobis tanquam Membra à Capite per Canonicas Sanctiones illicitiati discedere prohibiti sunt. Hi sunt, quos ideo ultra alia ornamenta galero rubro insignitos esse constat, ut præ cæteris Sanctam Sedem Apostolicam, Romanæque Ecclesiæ Unitatem in eis ipsis (ut præfertur) representatam, quantum fieri potest, verbo & exemplo constanter & intrepide usque ad sanguinis effusionem tueantur, & defendant, & quo majori honoris prærogativa honestati sunt, tanto magis peccant, cum eorum & Ecclesiæ Unitatem hujusmodi scindunt, aut à Summo Pontifice eorum Capite quoquo modo illicitiati recedunt, vel ab ipsius obedientia deficient. Sanè nuper in Consistorio Nostro Secreto Dilectus Filius Justinus Carosus, Juris utriusque Doctor, & Fiscus Noster Advocatus, nomine suo, ac Dilecti Filii Mariani de Cuccinis, Fiscus Camera Apostolicæ Procuratoris, quandam sub iis verbis querelam exposuit: Quamquam, Beatissime Pater, Vosque Reverendissimi Domini Cardinales, unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam Spiritus Sanctus ex Persona Domini nostri Jesu Christi in Cantica Canticatorum designet, dicens: Una est Columba mea, una est perfecta mea, & una est Matri suæ electa, & ut ait Beatus Cyprianus, Non habet Ecclesiæ Ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet Unitatem. Nihilominus ab ipsius (ut ita dixerim) Ecclesiæ incunabulis quorundam pestiferorum hominum effrenata libido hanc Sanctam Ecclesiæ Unitatem scindere & lacerare temptavit. Quisquis igitur hanc sanctam & immaculatam Ecclesiæ Unitatem ausu sacrilego, & diabolica persuasione violare præsumperit, hic (ut

Sacri Canones edocent) alienus est, prophanus est, hostis est, habere non potest Deum Patrem, qui Universalis Ecclesiæ non tenet unitatem, nec potest is cum aliquo convenire, qui cum corpore ipsius Ecclesiæ, & cum universâ fraternitate non convenit. Et cum, Pater Sancte, Sanctitas vestra intenta, (ut decet) Recuperationi Terrarum, & Jurium Sanctæ Rom. Ecclesiæ, præsertim Civitatis Ferrarientis, ejusque Ducatus, Territori, ac Districtus, quibus iniquitatis filium Alphonsum Estensem, ob ejus demerita per sententiam consistorialiter latam, privaverat, Bononiam cum exercitu accessisset, movissetque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quos tam pro prædictis, quam aliis gravibus eidem Ecclesiæ incumbentibus oneribus consulere intendebat, ut ipsam Sanctitatem vestram sequi deberent, prout par erat. Inimico tamen humani generis suadente, ac scandalum & zizaniam in Dominico Agro seminante, aliqui (quod dolenter referimus) ex dictis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus monitionem Sanctitatis vestræ hujusmodi implere simulantes, iter eorum Florentiam versus cœperunt, ac spretis litteris Sanctitatis vestræ, ac monitionibus & exhortationibus, per devotam Creaturam vestram, Franciscum, tituli S. Clementis Presbyterum Cardinalem, tunc in minoribus constitutum Episcopum Concordiensem, Datarium vestrum, quibus illos hortabatur, & monebat, ut ad eandem Sanctitatem vestram Bononiæ cum sua cura existentem vocati se conferrent, prout iidem Cardinales eidem Francisco Cardinali se facturos obtulerunt, initis & firmatis prius inter ipsos secretò, & per manus Publici Notarii certis conspirationibus & capirulis, ac conventionibus illicitis, & inhonestis, contra Sanctitatem vestram, Papiam illicitiati adierunt, & deinde Mediolanum se conferentes, ibidem contra Sanctitatem vestram, & Sedem Apostolicam, ac Sanctæ Dei Ecclesiæ Unitatem periculofam ac schismaticam Conventiculam inire moliti, aliosque Cardinales in suam sententiam trahere conati sunt, prout diversimodè Sanctitati vestræ innotuisse debuit, quare detecti in suo proposito perseverantes, gravia Ecclesiæ Universalis scandala imminere, illamque reformatione indigere, & propterea Concilium juxta quoddam Decretum Concilii Constantiensis, ac votum per eandem Sanctitatem vestram in ejus ad Summum Apostolatus Apicem assumptione emissum, & juramentum per eum præstitum congregandum fore, jusque illud congregandi ob Sanctitatis vestræ, & aliorum Cardinalium illi assistentium, negligentiam ad eos devolutum esse, eosque Concilium ipsum absque aliqua Sanctitatis vestræ requisitione, & licentia indicere, & convocare posse, asserere non sunt veriti: Horum Principalis Auctor existit Dominus Bernardinus, Episcopus Sabinensis, qui jamdiu ista animo suo præmeditatus, in ejus sententiam Guilielmum Episcopum Prænestinum. & Franciscum tit. SS. Nerei & Achillei, Presbyterum Cardinalem traxit, prout in cedula indictionis & convocationis Concilii eorum nomine publicati, & ut creditur, ad eorum instigationem, etiam sub nomine Maximiliani Rom. Imperatoris electi, & Ludovici Francorum Regis Illustrium confectis, ac manu Publicorum Notariorum subscriptis, & in urbe, ac alibi clanculum affixis, clarè constat. Quam gravitate verborum, Pater Sancte, quove dolore animi, rem hujusmodi deplorem? Sed ut video, Pater Beatissime, ac Reverendissimi Domini, jam tempus est, magis remedii, quam quærelæ. Ecce enim Sancta Mater Ecclesia, quæ in Persona Sanctitatis vestræ sui indubitati Sponsi sperat per prius unitate, & pace gaudebat, referatis lacrymarum fontibus, multis cum suspiriis & singultibus ad Te Sponsum suum, & ad Vos Reverendissimos Dominos Cardinales, qui estis in partem sollicitudinis evocati, clamare & vociferari compellitur. Et tu Beatissime Pater, cum omnia prædicta sint adeò manifesta, publica & notoria,

quod

quod nulla possint tergiversatione celari, nec excusatione defendi, in virtute Altissimi, unacum hoc Sacro Collegio exurge, & judica causam sponsæ tuæ, & memor esto opprobrii filiorum tuorum, accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, intende, prospere procede, & regna, & exemplo aliorum summorum Pontificum Prædecessorum tuorum, qui semper insurgentes in Dei Ecclesia hæreses, & Schismata cum ipsorum Auctorum fautoribus, auctoribus, & sequacibus à Dei Ecclesia, & communione Fidelium, & Sacratissimo Christi corpore eliminaverunt, hoc noviter ortum perniciosissimum Schisma in tuam, & S. Rom. Eccles. sponsæ tuæ injuriam spirituali mucrone rescinde. Nos igitur qui dudum Concilii indictionem hujusmodi, sive potius schismaticam Conventiculam per alias nostras literas revocavimus, ac pro pace & quiete omnium Christi fidelium, pro quibus extirpandis Schismatibus, & hæresibus universis, ac reformatione Universalis Ecclesiæ, quatenus opus fuerit, & expeditione contra infideles conciliariter ineunda Oecumenicum generale Concilium indiximus, & celebrare Domino permittente intendimus, hujusmodi relatione audita, magno quidem prout decebat dolore ac moerore affecti sumus: Non possumus enim non vehementer dolere, ut par est, tam perniciosum in Dei Ecclesiam incendium inchoari, & ab his præcipue à quibus minimè suspicabamur, præsertim à Bernardino Episcopo, quem honorificentissima legatione Germaniæ decoravimus, & cujus, reliquorumque omnium petitionis, quantum cum Deo licuit, semper annuimus, aliisque omnibus præfatis, quos tanquam corporis nostri membra paternæ caritate semper dileximus, & in visceribus complectebamur caritatis: Quoniam igitur Fratres nostri prædicti, & Sanctæ Matris Ecclesiæ Filii alienati sunt ab ea, & claudicaverunt à semitis suis, nos adversus hujusmodi periculorum schisma, juxta nostri Pastoralis Officii debitum publicè, & in facie Ecclesiæ requisiti (ut præfertur) insurgere, & illi obviare decrevimus: Quamobrem revocationi Conventiculæ, & indictioni Concilii hujusmodi inhaerentes, ut ad debitum finem conciliatis omnium animis perducipossit, nullusque scrupulus remaneat, quominus hoc sacrum Oecumenicum generale futurum Concilium, cum omni quiete, & pace, ac animorum unitate in Spiritu Sancto (ut decet) celebrari possit; & attendentes memoratam ipsorum Promotoris & Procuratoris petitionem justam, & divino, & humano juri consonam: nec non instrumentis publicis facta manifestè continentibus: etiam in alma urbe nostra temere affixis, & per nos visis, & alias legitime probatam, & usque adeo publicam, & notoriam esse, quod nulla possit tergiversatione celari, ita ut ad pœnarum severitatem juxta Sanctiones Canonicas, in prædictos Bernardinum, & Guilielmum Episcopos & Franciscum Cardinalem, absque alia ulteriori mora procedendum esset: præsertim cum nos eidem Bernardino, etiam post omnium supra narratorum perpetratiorem, si errorem suum recognoscere, & ad cor referri voluisset, plenam indulgentiam, & præteritorum remissionem, & veniam dare, & concedere Apostolicâ clementiâ parati sumus. Nihilominus de eorundem Venerabilium Fratrum nostrorum Consilio, Omnipotentis Dei imitantes clementiam, qui non vult mortem Peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat, & omnes injurias illatas obliviscatur, omni qua possumus pietate uti decrevimus, & quantum in nobis est agere, ut proposita mansuetudinis via ad cor revertantur, & à prædictis respiciant excessibus, ut ipsos, tanquam Filium illum prodigum, ad gremium Ecclesiæ revertentes benignè recipiamus, & paternâ caritate amplectamur. Ipsos igitur Bernardinum, & Guilielmum Episcopos, ac Franciscum Cardinalem, & etiam quoscunque eis adhaerentes, eorumque receptores, & eis quo-

modo faventes, per viscera misericordiæ Dei nostri, per asperionem Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quo, & per quem humani Generis redemptio, & Sanctæ Matris Ecclesiæ ædificatio facta est, ex toto corde hortamur, precamur, & obsecramus, ut ipsius Ecclesiæ unitatem, pro qua ipse Salvator tam instanter oravit ad Patrem, violare desistant, fraternam quoque dilectionem, & pacem, quam toties, & accuratè, idem Redemptor, transiturus ex hoc mundo ad Patrem, discipulis commendavit, & sine qua nec orationes, neque jejunia, nec elemosynæ Deo acceptæ sunt, scindere, & lacerare expavescant, & à prædictis quantocius tam perniciosis, & scandalosis profus desistant, excessibus, inventuri apud nos, si effectualiter paruerint, & etiam nobis personaliter humiliter paruisse docuerint, paternæ caritatis affectum, apertumque mansuetudinis, & Clementiæ fontem, alioquin ipsos si fortè justitiæ, & virtutis amor à peccato non retrahat, indulgentiæque spes ad penitentiam non invitat, pœnarum terror, & vigor cohercet disciplinæ, præfatos Bernardinum, & Guilielmum Episcopos, & Franciscum Cardinalem, adhaerentes, receptores, & quoslibet fautores eorum de Fratrum eorundem consilio requirimus, & monemus in Virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub anathematis, & criminum hæresis, & Schismatis, ac læsæ Majestatis, & quibuscunque aliis, contra tales ab Homine, vel à jure inflictis, necnon privationis Cardinalatus honoris, ac Patriarchalium, & Metropolitanarum, & Cathedralium, quibus præfunt, aliarumque Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, & aliorum beneficiorum quorumcumque, quæ obtinent, ac inhabilitatis ad illa, & alia qualiacunque impofterum obtinenda, necnon convicti criminis schismatis, hæresis, & læsæ Majestatis pœnis distinctè præcipiendo mandamus, quatenus infra quinquaginta dies ab affixione præsentium, in locis infrascriptis immediatè sequentes numerandos, ipsi Bernardinus, & Guilielmus Episcopi, & Franciscus Cardinalis pro Indictoribus, & Convocatoribus Concilii generalis ulterius se gerere, aut nominare desistant: nec per alios quantum in eis est haberi, & nominari pro talibus se patiantur, ac indictionem, & convocationem prædictas, sicut de facto, & male factas, coram nobis personaliter constituti publicè revocent, cassent, & annullent: adhaerentes, receptores & faventes, ulterius ipsis Bernardino, & Guilielmo Episcopis, & Francisco Cardinalibus in hoc Schismatis crimine non assistant nec adhaerant, vel faveant quoquomodo per se, vel alios, directè vel indirectè, nec quovis quæsito colore, sed ipsi Bernardinus, & Guilielmus Episcopi, & Franciscus, Cardinales adhaerentes, receptores, & fautores, nobis tanquam Patri, & Pastori animarum suarum reverenter pareant & obediant, ac de revocatione indictionis, & convocationis Concilii hujusmodi, infra prædictum terminum (ut præfertur) coram nobis personaliter constituti, etiam per publica documenta, certiores nos faciant, ita ut de eorum vera obedientia, nullus dubitationis scrupulus valeat remanere, aliàs si Bernardinus, & Guilielmus Episcopi, ac Franciscus Cardinales, & adhaerentes, receptores, & fautores prædicti secus (quod absit, & nobis persuadere non possumus) egerint, seu præmissa omnia, & singula infra terminum prædictum cum effectu non adimpleverint: noverint se prædictis pœnis obnoxios, & à nobis quantum invitis justitia cogente citatos, prout tenore præsentium citamus, monemus, & requirimus: aut quintadecima die præfatum terminum immediatè sequente non feriat, & si dicta quintadecima dies feriat extiterit, prima die sequenti non feriat compareant personaliter coram nobis in Urbe, & Consistorio nostro secreto, aut ubi tunc erimus ad se defendendum, legitimeque excusandum de præmissis contra eos deductis, alias ad

videndum, & audiendum se, & quemlibet eorum etiam nominatim, quos sic citamus ad diem eandem, contra ipsos legitime procedi, ac ad videndum se declarari Schismaticos, blasphemos, & tanquam hæreticos, & reos criminis læsæ Majestatis fore puniendos, ac censuras, & penas prædictas ipso facto incidisse, & incurrisse, & alias iis infligi, prout justum fuerit, & justitia suadebit, certis eisdem, & eorum quemlibet, quod si venerint, si non, nisi se paruisse coram nobis personaliter constituti ostenderit, aut se legitime de præmissis excuserint, coram nobis (ut præfertur) personaliter constituti, ad declarationem dictarum penarum justitia mediante procedemus, eorum contumacia, & absentia non obstantibus, sed, ipsorum contumacia eorum præsentiam representante, processuri ulterius ad aggravationem, & reagravationem, prout justitiæ vigor postulaverit, & eorum demerita exegerint. Ut autem hujusmodi nostra monitio, & citatio ad eorundem monitorum, & citatorum, aliorumque quorum intererit, notitiam deducatur, cum ad ipsos personaliter citandos tutus non pateat accessus, cartas siue membranas eas continentes, ac præsentem literas in Valvis Basilicæ Principis Apostolorum, ac Ecclesiæ Lateranensis, in acie Campi Floræ, & extra Curiam in Cathedrali Ecclesiæ Senensis Valvis affigi faciemus, quæ monitionem eandem suo quasi sonoro præconio, & patulo judicio publicabunt, ut idem moniti, quod ad ipsos non pervenerit, vel eandem monitionem ignoraverint, nullam possint prætere excusationem, vel ignorantiam allegare, cum non sit verisimile apud eos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Volumus etiam, & Apostolica auctoritate decernimus, quod hujusmodi nostra monitio in eisdem Valvis, & acie intimata perinde valeat, & illos ardet, quacunque constitutione Apostolica contraria non obstante, ac si eisdem monitis, & eorum singulis intimata, & insinuata personaliter, & præsentialiter extiterit; Ne tamen moniti, & citati prædicti Urbem ipsam, & Curiam Romanam, communem omnibus Patriam, locum sibi minus tutum, & propter præmissa, vel ex quibusvis aliis causis similibus vel dissimilibus, imminere periculum in veniendo, stando, & redeundo, ad excusationis suæ velamen forsitan allegent, ipsos tenore præsentium securantes, cuiuslibet ex monitis prædictis plenum, & amplissimum in fide Pontificia, & Venerabilium Fratrum nostrorum S. Rom. Eccles. Card. in verbo viri, & boni Pontificis, Salvum conductum in veniendo, stando, & redeundo (ut præfertur) concedimus. Universos & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Ecclesiarum, Monasteriorum Prælatos, & Clericos, ac personas Ecclesiasticas, nec non Duces, Marchiones, Principes, Potestates, Capitaneos & quoslibet alios Officiales, & eorum loca tenentes, nec non Communitates, Universitates Civitatum, Castrorum, oppidorum, Villarum, & aliorum locorum tenore præsentium requirimus, & hortamur, ipsisque Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatibus, cæterisque subditis nostris directè mandamus, quatenus præfatis monitis omnibus, & singulis in veniendo ad dictam Curiam, occasione prædicta, morando in ipsa, vel ab ipsa recedendo, in personis, & bonis aut rebus eorum nullam inferant, nec ab aliis, quantum in eis fuerit, permittant inferri injuriam, vel offensam. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ hortationis, precatationis, obsecrationis, requisitionis, monitionis, mandati, citationis, certificationis, voluntatis, decreti, securationis, concessionis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit

incursum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. XI. quinto Kalend. Aug. Pontificatus nostri anno octavo.

A tergo autem supradictarum literarum Apostolicarum infra scripta verba erant. Anno à Nativitate Domini M. CCCC. XI. Indictione XIII. die verò ultima mensis Julii & prima mensis Augusti, Pontificatus SS. in Christo Patris & Domini nostri, Domini Julii, divina providentia Papæ II. anno VIII. præsentem retroscriptam literam Apostolicam præfati Sanctissimi Domini nostræ Papæ affixæ, & publicatæ fuerunt in acie Campi Floræ: deinde in Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Ecclesiæ Lateranensis Valvis, seu portis, & ibidem per longum temporis spacium, ut ab omnibus easdem legere volentibus, legi possent; per nos Cursores hic subscriptos, videlicet per me Vicarium de Bellavilla juniorem Sanctissimi Domini nostri Papæ & Romanæ Curie Cursorem.

Ita est, Dominicus de Villanis Sanctissimi Domini nostri Papæ Curfor.

Anno Indictionis, Pontificatus, ut supra, copias retroscriptarum literarum, in diversis diebus affiximus, & affixas dimissimus, cum Originali collationatas, videlicet ad Valvas Principis Apostolorum de Urbe, & S. Joannis in Laterano, dum celebrabatur divina, per nos Petrum Mengivar, & Vicarium de Bellavilla juniorem, & Joannem Bernardi Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores. Anno Indictionis, & Pontificatus suprascriptis, die verò VII. mensis Augusti, præsentem retroscriptas literas Apostolicas præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ, etiam affixi, & publicavi in Valvis seu portis Ecclesiæ Cathedralis Senensis, hora Missæ, & ibidem per longum temporis spacium dimissi, ut ab omnibus eas legere volentibus legi possent: demum copiam earundem ibidem affixi, & affixam dimissi in signum veræ executionis.

Ita est Vicarius de Bellavilla junior Sanctissimi Domini nostri Papæ Curfor.

Auxilium implorat à Principibus pro recuperatione Bononiæ à Rebellibus S. Rom. Ecclesiæ directæ, & pro sui defensione: an. 1511.

JULIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei.

Cum Civitas nostra Bononiensis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ immediate subjecta, & ad eam pleno jure pertinens, & spectans, quam à jugo Tyrannidis quondam Joannis Bentivolii Filiorumque ejus magnis nostris laboribus, & impensis liberaveramus, & ad Pacis tranquillitatem, ac Justitiæ cultum reduxeramus, operâ nonnullorum perfidorum Civium à nostra, & ejusdem Ecclesiæ obedientia se subtraxerit, & ad jugum pristinae servitutis redacta sit, monitisque nostris paternis parere, & ad solitam debitamque obedientiam redire contemnat. Nos considerantes, quam periculosum nostro, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Statui sit, Civitatem tam insignem, & opulentam à Rebellibus nostris, & Hostibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ detineri, & occupari, & propterea pastoralis hoc à nobis officio exigente desiderantes, illam ad veram, & immediatam obedientiam nostram, & Apostolicæ Sedis reducere; statuimus recuperationem tam Civitatis prædictæ, ejusque Comitatus, & districtus, quam aliarum quatuordecim Civitatum, Terrarum, Arcium, & Locorum, ad eandem Ecclesiam mediata, vel immediate pertinentium, & spectantium, à quocunque, & qualitercunque occupentur, diutius non differre.

Quia tamen nostræ, & Apostolicæ Sedis vires, & Facultates, Adversariorum potentia, qui Civi-

IX.
ExArchiv.
Angl. Ri-
mer. Tom.
13.